39 II

Q. D. B. V.

MEDICINA IN NUCE

SIVE

IDEA COMPENDII PORTATILIS MEDICI.

PRÆSIDE

BURCARDO DAVIDE MAUCHARTO,

PROF. MED. ORD. PRIMARIO, CONSIL. ET ARCH. WIRT.

PRO LICENTIA

HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME CAPESSENDI

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI PROPOSITA

ABS

LUDOVICO THEOPHILO GMELINO, *Marbacensi.*

D. XX. APRIL. MDCCXXXVII.

TUBINGÆ, ÆRE SIGMUNDIANO.



Σ. Θ.



Itam esse brevem, artem vero longam, effatum est hippocraticum lippis atque tonsoribus æque notissimum, ac ad lapidem lydium rationis & experientiæ probatissimum. Artem vero medicam nostro ævo longiorem adhuc & operosiorem evadere quivis agnoscet facile, qui tot ab Hippocratis tempore in foro physico-medico accessiones memori revolvit mente: qui luxuriantem præsentis seculi genium attendit, tanta de Medico requirentem non ad esse modo, sed & ad melius esse: quique tristem respicit necessitatem, qua corticem nimis diu lambere & tantundem fere in clave ad medicinam invenienda, quam ipsa scientia & arte consequendis desudare cogimur. Cum vero neque declinans magis magisq; vitæ nostræ periodus, neque vel ingenii, vel fortunæ rationes indulgeant omnibus diffusam ejusmodi medicam eruditionem, tanto magis ad primarium medicinæ scopum attendere animum, ac, recisis comptulæ medicinæ phaleris atque parergis ad ἔργον primario respicere oportebit. Quamobrem eo lubentior assurgere monitis volui, quæ in publicis subinde disputationibus audivi, ut ne themata inauguralia medica meris, vel à potiori saltem, philosophicis implicentur tricis; sed tale potius seligendum reputavi pensum, quo proximus à subselliis academicis ad ægrorum lectos stabiliatur transitus, & solidum theoriæ cum praxi connubium celebretur. Itaque specimen quoddam suppeditabo compendii medico-practici, quo mediante, uno quasi obtutu, quid circa singulos affectus præternaturales sciendum sit & agendum perspiciat medicus, & novitius maxime Practicus

in promptu habeat tot & tam varia morborum phænomena atque remedia, in illis præcipue casibus, ubi juxta phrasin Alexandri Magni, lenta remedia & segnes experiri medicos nolunt, vel non debent ægroti. Institutum hocce versatioribus emendandum Practicis, junioribus vero imitandum, & in præsenti palæstra disputatoria benevole excutiendum decenter commendo.

QUantum differat theoria affectuum p. n. generalis ab individuali hujus vel illius personæ therapia non veterani magis declararunt ingenue medici, ac novitii tota adhuc die experiuntur Machaones, commune cum chirurgis subeuntes fatum, qui operationibus suis per quamplurima in cadaveribus tentamina strenue defuncti, & manus denique vivis inferentes corporibus maximum nihilominus offendunt discrimen inter operationes in vivo & mortuo institutas subjecto.

Quemadmodum enim heic ægrorum gemitus, preces, renisus, opprobria, cruentatio, excrementorum fœda conspurcatio, deliquia, convulsiones, mortis metus, adstantium intempestiva misericordia &c. chirurgorum circulos sub operatione vivorum facile possunt turbare; ita plus una subest ratio, cur *Democedes* Crotoniensis, coryphæus medicæ illius scholæ, quæsitus: Quisnam verus esset, & qui omne punctum ferret Medicus? respondetit: qui ingressus ad ægrum animo non turbetur. Loco plurimorum in hanc rem exemplorum allegare juvabit, quæ celeberr. quondam noster *Lentilius* in suo habet libello, cui tabulæ consultatoriæ fecit nomen. Ingenue non minus ac festive dicta veniam exscriptionis invenient facile:

Scilicet, inquit Is, longe est alia res *individua* curare, quam *homines*: longe aliud è collegio practico Præceptoris hominem absentem, quam è penu confirmati judicii hunc hominem præsentem & gementem &c. Novi ego hominem in ista cute mea, qui sibi non videbatur mediocriter tum eruditus, quum praxin adgrederetur, imo practicos quosdam veteranos, si qui clinicorum ipsis negotium facesserent, clam ridebat, ita secum cogitando: Si tibi talis æger curandus obtingeret, longe tu alia & salubriori methodo

proce-

procedere velles. Dum autem ipſe cœpiſſet operari, vah, quam ubique hærebat aqua, & quantum erat, quod ipſe ſe neſcire tum demum deprehendebat! Oracula ſua practica ſi rogatum iret, pythia quidem reſpondit, v. gr. in malignis febribus eſſe præmittenda univerſalia, hinc alexipharmacis primum volatilioribus, poſtea fixis inſiſtendum, præſcribenda hæc vel illa, pro fallenda ſiti decocta, julebos, emulſiones, hoc in augmento, illud in ſtatu, aliud in declinatione faciendum: Sin autem in ipſo demum morbi ſtatu, re fere conclamata, ad deliros, phreneticos, ſingultientes, exanthematis obſitos, anginoſos, convulſos, ſtragula permerdantes, medicamenta averſantes, vocaretur, quid ipſi tunc ſecundum illam eleganter & concinne præſcriptam methodum erat primo agendum? Ubi manebant univerſalia? ubi iſta volatilia? ubi in ſumme refractariis & nil niſi gelidam ſuſpirantibus decocta, emulſa, julebi? Præterea dum ægrotus clamabat: da potum! dum uxor, medere ſingultui: dum affinis, ſiſte dolorem: dum compater, præbe ſudoriferum: dum cognatus da vinum, ut cor confortetur: dum alii, balneatores, mulieres, amiculi &c. Scribe hoc vel iſtud, quod vicino meo, re nulla juvante, in eodem affectu graviſſime decumbenti ſalutare fuit: & quæ ſexcenta ſunt alia, quid tunc ageret? Emoriar, ni vel centies optavit: O ſi aliam, quamvis viliorem, quam periculoſiſſimam & plane conjecturalem artem didiciſſem!

Operæ igitur pretium feciſſe videntur jure meritoque, qui filum obtulerunt ariadnæum, quo duce novitii medici ex hoc labyrintho ſe valeant extricare. Tria vero maxime negotium faceſſere ſolent. 1.) Examen exquiſitum phænomenorum ad præſentem caſum facientium, quæ diagnoſis, prognoſis & pathologiæ fundamenta ponant. 2.) Prompta auxiliorum inventio & prudens ſelectus. 3.) Judicioſa cautelarum practicarum applicatio:

Optime meriti ſunt inprimis circa primum articulum jam olim Jul. Cæſar *Claudinus*, Profeſſ. Med. Bononiens. tractatu de ingreſſu ad infirmos & ſupra laudatus Roſ. *Lentilius* in ſua tabula conſultatoria medica. Uterque pro fundamento ponere videtur Hippocratis in Lib. de affectionibus monitum, quod ita ſe habet: Cum ad ægrotum veneris, interrogare oportet, quæ patiatur

tiatur & ex qua caufa, & quot jam diebus, & an venter fecedat & quo victu utatur?

Quis autem non videt prima hæc examinis clinici ftamina vel ampliffime diduci, vel obtorto collo quam plurimas adhuc maximeque neceffarias quæftiones ad enarratam claffem trahi oportere? Unde quaternionem hippocraticum ad feptuaginta quinque adauget quæftiones Lentilius, non omnibus quidem promifcue proponendas ægrotis.

Meum jam non eft, quæ tanti viri ingeniofa tradiderunt, vel recoquere, vel cribrare, aut fupra illos fapere videri. Abundet per me fuo quilibet fenfu. Paucis faltem adornabo methodum examinandi ægros & explorandi p. n.les affectus longe facillimam, & tamen exquifitam nihilominus.

Omnium primo igitur, *Quis patiatur?* quærendo, eruuntur, juxta medicorum fic dictas res naturales, fexus, ætas, temperamentum, idiofyncrafia, confuetudo, difpofitio hæreditaria.

Quid patiatur? In promptu eft idea divifionis morborum: intemperiei, conformationis, compofitionis & folutæ unitatis; nec non triplicis fymptomatum generis in læfa facultate animali, vitali & naturali, eisque vel imminutis, vel abolitis, vel depravatis: fecundo in qualitatibus mutatis: ac denique in excretis & retentis.

Ubi patiatur? Refpicit fubjectum morbi, quin & fubinde fimul caufæ, partem affectam vel idiopathice, vel fympathice: an morbus fit univerfalis, vel particularis? externus l. internus? congruus l. non congruus? an unus & fimplex, l. plures & complicati? an diftinctus, aut connexi?

Quando patiatur & quamdiu & *quomodo?* Involvit differentias morborum accidentales, ratione extenfionis & intenfionis. An morbus fiens, recens, factus, in principio, l. augmento, l. ftatu & ἀκμῇ, l. declinatione? an chronicus, l. acutus, an ordinatus, periodicus, l. erraticus, l. continuus, l. intermittens? an vernus, æftivus, autumnalis, hyemalis? an circa folftitia, æquinoctia, phafes lunæ? an diurnus, l nocturnus? an magnus, gravis, l. parvus? an benignus, l. malignus?

Cur patiatur? quæſtio in ampliſſimum cauſarum morbificarum ſe diffundit campum, & ſic revocat huc ex parte, quas ſtatim in limine ſub titulo rerum naturalium perſtrinximus, cauſas antecedentes, quæ alias προηγȣμέναι audiunt, quæ præviam quandam diſpoſitionem important ad præſentem morbum.

Tum vero cauſæ occaſionales, ſ. προκαταρκτικαὶ juxta medicorum res non naturales expenduntur: ſcil. ſomnus & vigiliæ, aër, cibus & potus, excreta & retenta, animi pathemata, motus & quies, quorſum ſpectant quoque vitæ genus & clima. Cauſæ tandem præternaturales, quin & ſupranaturales, morbificæ claudunt agmen. Quæ omnes ac ſingulæ reſpectu ſubſtantiæ, temporis, ordinis, originis &c. vel ſunt ſpirituoſæ, l. humoroſæ, l. ſolidæ, hæque vel animatæ, l. inanimatæ, l. antecedentes remotæ & mediatæ, l. proximæ & immediatæ: vel externæ, l. internæ: vel communes, l. propriæ, l. epidemicæ, l. endemiæ, l. ſporadicæ, l. contagioſæ &c.

Poſſent hæc jam facili negotio ampliſſime illuſtrari, niſi temporis & inſtituti vetaret ratio. Pauciſſima ergo quædam modo adducam exempla. Occaſione quæſtionis primæ, ad ætatem, ſibi ſtatim ob oculos ponit medicus catalogum morborum certæ periodo ætatis potiſſimum adſtrictorum e. g. infantilium, mox, vel brevi à partu familiarium, e. g. tumoris mammillarum, frænuli craſſioris l. reſtrictioris, nec non ranulæ linguæ: imperforationis urethræ & ani: labii leporini: hæmonhagiæ umbilicalis, nævorum, torminum, vomitus, icteri, ophthalmiæ, ſingultus, tuſſis, pavorum in ſomno, convulſionum. Atque ſic deducitur in ulterius examen, an hic vel ille morbus ſit connatus, an adſcititius? ex imaginatione prava, vel diæta & conſtitutione matris, dum utero gereret, morbifica? an vitio nutricis, in uſum rerum ſex nonnaturalium excedentis? an culpa pultis nimium ſpiſſæ, aceſcentis, aut farinæ, ei inſervientis in loco humido & frigido aſſervatæ: aut ex adſtringentium, ceruſſæ præſertim, ad inguina, pudenda & alas pernicioſiſſima inſperſione? aut regionis epigaſtricæ & fontanellæ incauta denudatione ac refrigeratione: aut dulcium, ſaccharatorum nimio infarctu?

In progreſſu ætatis hujus infantilis atque puerilis ſupervenire

ſolent

ſolent phænomena dentitionis, cruſtæ lacteæ, achorum, ſcabiei, verminationis, morbillorum, variolarum &c. Quemadmodum ergo nonnulli ſunt certæ ætati l. proprii. l. congrui morbi, ita ſi occurrant apud ejusmodi ægros phænomena morboſa, ad illos quoque ſtatim advertit animum medicus, probe tamen memor, nulli ætati à quamplurimis morbis privilegium & exceptionem competere.

Si porro diſtinctionem ſexus attenderit, & maxime in feminino ad menſtruationis fluxusque lochialis anomalias atque morbos hyſtericos, ob quæ ſcil. mulier omnem morbum bis pati dicitur, in quocunque reſpexerit affectu, morbum deprehendet l. primario, l. ſecundario, l. concomitanter ſæpiſſime illis deberi ataxiis.

Sed plura deſino. Ex hoc enim paradigmate reliquas quæſtiones, ad rhombum facientes inveniet facile proprio marte ſagax medicus. Interim tamen haud raro crucem medico figunt ægri impotentia loquendi l. infantilis, l. morboſa: moroſitas, maligna l. ſimulatio, l. diſſimulatio morborum, imaginatio, oſcitantia, ſtupiditas, imo & radicata vulgi opinio & nimia uromantiæ fiducia. Sicut enim apud Gallos turpiſſimum habetur vitium in forma, ſi medicus cuicunque ægroto pulſum tangere neglexerit; ita inter Germanos, noſtris præcipue in regionibus, urinæ inſpectionem & dijudicationem proram medicinæ ac puppim reputant, nec aliud ſubinde phænomenon medico narrant, quin rogati revelare volunt; ſcilicet Dominum Doctorem ex urina divinaturum prætendunt facile omnia.

Lupum tunc auribus tenet medicus novitius. Si teneat fortius, & expectationi patientis aſſurgat, turpiter facile & fallitur & fallit: Si dimittat, & hanc medicaſtrorum decipulam explodat, ignarum vel ſuperciliosſum ſe præbet vulgo, & vino ſuo hederam minime ſuſpendit Medio igitur tutiſſimus ibit, nec thraſonice nimiùm pollicendo, nec timide plane nihil moliendo, ſed, ſi opus videatur, exactius urinæ ſcrutinium phyſico-medicum ſuſcipiendo, non modo in auxilium vocatis ſenſibus externis, qui de colore, conſiſtentia, quantitate, odore teſtentur, ſed & per calefactionem, ſubſidentiam, ponderationem hydroſtaticam,

cam, decantationem, filtrationem, evaporationem & novam dehinc aquæ affuſionem, per reagentia, deſtillationem, obſervationem microſcopicam &c. unde ſcil. quantitas qualitas & proportio elementorum urinæ, nec non heterogeneorum: ſanguinis, lactis, puris, ſeminis, tartari, ſabuli, calculorum, vermiculorum, filamentorum, caruncularum & ſimilium, atque ſic hujus l. illius morbi & cauſæ morbificæ præſentia detegatur.

Si cui ad palatum fuerit nova quorundam pathologia animata, quæ cuilibet ſpeciei morbi peculiarem & diſtinctam inſecti ſpeciem per obſervationes microſcopicas liberaliter determinat & adpingit, poterit, mea pace, non urinam modo, ſed & ſanguinem, ſudorem, pus ægrorum ad idem vocare microſcopicum examen. Sed vereor ne compendium hoc ſemioticum inane evadat temporis atque laboris diſpendium. Etiamſi enim revera talia in diverſis morbis obſerventur diverſa animalcula, quis absque confuſione, quæſo, dignoſcet innumeras horum inſectorum ſpecies, ſibi maxima parte tam ſimilium, ut ovum ovo? & quis ſpecifica, ſine longa experimentorum ambage, ſingulæ opponenda inſectorum ſpeciei certo confirmabit medicamenta?

Deterior adhuc mihi videtur ſors eorum, qui rejectis & alto ſupercilio deſpectis omnibus dogmaticorum moliminibus & theoriis, nonniſi panaceis & medicamentis inhiant univerſalibus, quibus, ceu clava Herculis, obvia quævis morborum proſternant monſtra, hominemque, ſi Diis placet, ad neſtoreos uſque annos evehant ſalvum & incolumem.

O quam dulcia credulorum ſomnia! Quam fallaces hominum ſpes! Quanta thraſonum ludibria! Quam turpes eheu & funeſtæ crumenimulgorum fallaciæ, quas utinam publico luctu dolendas *Jactator* ille *Dantiſcanus* non effeciſſet nobis inpræſentiarum! Ita ſcilicet opimæ promiſſiones illæ in fumum abierunt, imo in funus! Dabitur autem fortaſſis alio tempore venia & occaſio de his liberius diſſerendi atque plenius.

Revertor itaque in viam, atque ſic ad nervum thematis mei propius accedo. Sicut enim, quos hactenus indicavi, examinis clinici fontes nimium generales, & è ſolis fere inſtitutionum medicarum venis ſcaturientes videri poſſent; ita jam erit in rem præ-

ſentem deſcendendum, & brevi primum diſcurſu, dein ipſo ſpecimine uno alteroque declarandum, quomodo ad ſingulorum affectuum explorationem & cognitionem non modo perveniat medicus, ſed & totum ſingulorum morborum *ſchema theoretico-practicum* in compendio atque ſic integram *medicinam in nuce* ſibi comparet.

Siquidem jam cardo rei vertitur in eo, ut quæſtiones ſuas digerere & in ordinem redigere, inutiles reſcindere, neceſſarias vero alteram ex altera nectere ſatagat medicus, neque per ſaltus ab uno extremo ad alterum ἀμεθόδως tranſiliat; ſed partim cujusque viſceris atque partis, p. n. affectorum phænomena ad normam ſtatus ſani exigat, partim vero partis affectæ connexionem, ſive activam, ſive paſſivam cum reliquis partibus eruat, partim denique ſigna communia & pathognomonica cujuslibet affectus p. n.lis collective ſumpta, ad determinandam ſpecialiſſimam ejus ideam, methodo analytica, formare, atque ſic fundamentum ſimul pathologiæ & inprimis ætiologiæ jacere, illique & prognoſin & therapiam ſuperextruere ſciat.

Res per exempla fiet clarior: Si quis ſe ventriculo laborare conqueratur, quod noſtri vaga locutione ſolent exprimere: es ſeye ihnen nicht recht im Magen! inquirit primo medicus, ſuppoſitis jam & præmiſſis quæſtionibus illis generalibus de ſexu, ætate &c, ſupra recenſitis, an ventriculus officio ſuo vel circa appetitum, vel digeſtionem, vel facultatem ſuam expultricem & retentricem, fungatur debite? an appetitus ſit vel imminutus, l. abolitus, l. auctus, l. depravatus? Num brevi, vel longius à paſtu, aut ante paſtum, dolor, preſſio, ſtrictura, terebratio, ardor, murmura ventriculi, ructus, flatus, ſe prodant? Ructus num inſipidi, inodori, aut acidi, amari, nidoroſi &c? an ſimplices, aut ſingultioſi? Faciles, an elaſtici, & quaſi immaturi? Quî ſe habeat contentorum ventriculi conſueta per canalem inteſtinorum propulſio? Num debite viam affectent ad inferiora, aut regurgitent per ſuperiora, vomituque reddantur, & qualia? Mutata, l. non mutata, ſola, vel bile, muco, acido pinguibus moleculis & ſebaceis concrementis, imo & ipſis inteſtinorum fæcibus, vermibus vel aliis inquinata inſolitis, aut conſtantia? &c. An alvus libera? Quæ fecum alvinarum in quanto & quali conditio? Nauſea num ad certum ſit determinata

obje-

objectum, e. g. carnes, vinum? an vaga? Vomitus num faciles, è gula, ventriculo, duodeno? vel laboriosi, & aliis adhuc sociati symptomatibus? an diu & perpetuo duraverit, vel in herba adhuc sit malum? an periodicum?

Si jam hoc examine morbus innotescat, nausea, vomituritio, ipsis subinde vomitibus stipatæ, habebitur τὸ *formale* ac diagnosis morbi. Cum vero non, nisi sublata causa, tollatur effectus, ita nunc progredi oportet ad τὸ *causale*, & reliquas, in limine hujus dissertatiunculæ laudatas percurrere quæstiones: Et primo quidem *rerum nonnaturalium* classes: Num errores in diæta & regimine præcesserint, vel actu jungantur adhuc? an frigus incaute admissum regioni ventriculi? an cibi dyspepti, flatulenti, aut laudabilium quoque nimia farrago & copia fuerint ingurgitatæ! an similis error in potu commissus, affatim hausta æstivo tempore gelida: vel minerali quadam aqua copiosius atque diutius potata: aut cerevisia recenti, feculenta, musto fermentante, acescente bibitis? aut potius vini & spirituosorum excessu. Apud nostros enim verissimum est Dni. Præsidis B. Parentis, Physici quondam in urbe mea natali celebris, dicterium? **In dem Würtemberger-Land versauffen 99. im Wein, biß einer im Neccar.**

Porro num excretiones consuetæ: muci narium, hæmorrhoidum, hæmorrhagiæ narium, mensium rite procedant, l. suppressæ sint? An strenue pugnatum sit in castris veneris? an femina sit gravida, & sic ventriculus partim à mensibus retentis, partim vero, inprimis ad ultimum, à mole prementis uteri gravetur?

Incidit hac occasione binum sympathiæ rarioris exemplum: Alterum quod de Professore quodam Altorfino narratur, nauseante & vomente, loco uxoris gravidæ, per maximum hujus gestationis tempus: Alterum personæ cujusdam Stuttgardiensis, quæ vim cathartici, abs conjuge, clam quoque, assumpti, nolens volens experta est & ipsa, liberali satis effectu.

Num venæsectiones & purgationes, semestres, æquinoctiales non sint omissæ? graves animi præcesserint affectus: excandescentia, consternatio, mœror, aversatio & concepta ex ingrato, fœdo fœtidove objecto nausea? Et denique pro complemento rerum

ſex nonnaturalium, an motus corporis l. defectu peccaverit, l. exceſſu? Certe qui vitam agunt ſedentariam ſpiritusque animales à culina corporis jugiter avocant ad ſtudia & per lucubrationes nimias diſſipant, maximè ſtatim à paſtu: aut qui per decurſum curæ acidularum, juſculorum medicatorum, vel alius potus liberalioris medicati debitum corporis motum negligunt, inter alia, frequenter etiam nauſeas & vomitus ſibi concitant. E contrario autem motus nimius, contentioſus, it. in rheda, navi quamplurimis etiam ſolet ventriculum ſubvertere.

Quæ denique ſuperſunt cauſæ & remotæ & proximæ è cenſu *rerum præternaturalium*, poterunt eodem, quem ab initio commendavi, ordine, atque ſic eadem opera ſimul ſubjectum cauſæ indagari, atque primo diſpici, an & quis *intemperiei* adſit *morbus*, vel immineat? Cacochymia pituitoſa, bilioſa, acida, nidoroſa? an febrilia concurrant ſymptomata; intermittentis l. continuæ acutæ, malignæ febris? inflammationis in fieri, l. facto? vel reſolvendæ inſenſibiliter, l. in ſuppurationem & abſceſſum abituræ, l. in calloſam aut ſcirrhoſam duritiem terminandæ, l. in gangrænam & ſphacelum tranſituræ. Num variolæ l. morbilli immineant?

Inter *morbos conformationis* diſpicitur, annon externa quædam labes & affectio ventriculi manifeſtetur: inflatio, durities, preſſio, irritatio à cartilagine xyphoidea, coarctatio à mole abdominis aſcitica, tympanitica, l. hepatis, omenti, coli ſcirrhoſa: abſceſſu tumore &c. integumentorum regionis epigaſtricæ. An fortaſſe contractus nimium & corrugatus in ſubjecto debili, exhauſto, hectico, aut aliâs? an circa pylorum p. n.lis anguſtia, compreſſio, infarctus, tumor? vel & in ipſo ventriculi cavo? an venarum gaſtricarum nimia repletio, varicoſa quaſi, tenſiva, gravativa, imo hinc conſequens ἀναϛόμωσις? vel num potius διαίρεσις, eroſio, perforatio à venenis cauſticis, purgantibus, emeticis aliisque medicamentis draſticis, l. inepte præparatis, mercurialibus, antimoniatis, venereis &c. intentetur, & denique *morbus ſolutæ unitatis*, vulnus, perforatio, crepatura, exulceratio, l. à cauſis ejusmodi internis, l. externis, ictu, contuſione & vulnerante quocunque inſtrumento ſit inductus?

Ad

Ad *morbos compositionis*, in connexione vitiata, attendenti haud ingratam fore puto recensionem singularis cujusdam observationis anatomico-practicæ, abs Dn. Præside factæ, in viro quodam Stuttgardiensi, qui nauseis vomitibusque matutinis, aut aliâs jejuno existente ventriculo, diu vexatus, quamprimum vero comedisset, statim liberatus, nec ullo remedio melius citiusque fuit adjutus, donec tandem ab hac molestia plene solutus per aliquot manserit annos, diemque obiisset ex alio morbo supremum. Sectione dehinc (cui interfuit etiam Exc. D. Arch. Seegerus) deprehensum est omentum medium ruptum, laciniâ superiore ventriculo reliquisque partibus naturaliter adhærente, inferiore vero in inguen detracta & ibidem in annulo musculi obliqui externi incarcerata, sicque herniam efficiente inguinalem & omentalem. Ita stimuli ad nauseas atque vomitus manifeste se prodidit causa: vellicatio scil. & tractio versus inferiora ex omento inguini infixo, tanto efficaciores, quo ventriculus fuit depletior in jejunio & sic ejus subsidentia, contractio atque corrugatio majores, & vice versa, donec vinculum hoc omentale & chorda tensa crepuerit denique, ac cessante tensionis causa cessaverit etiam molestæ tractionis & irritationis effectus,

Hactenus enarrata specimina stiterunt à potiori *affectum* ventriculi *idiopathicum*, atque *subjectum morbi & causæ* coincidens in eodem ventriculo. Sed quemadmodum nonnullas jamjam prælibavimus l. vicinas, l. remotiores à ventriculi confiniis causas, ita tanto magis, si hactenus recensitarum causarum nulla in præsentem quadret casum, de reliqua *sympathia* & *consensu ventriculi* cum capite, pectore, vesicula fellis, liene, utero, intestinis & inprimis etiam renibus solicitum decet esse medicum.

Scilicet actionem in distans exercent & è longinquo ventriculum feriunt ac ad nauseas vomitusque stimulant vulnera, concussiones, ictus graviores capitis, oculorum, tussis vehementior ferina, calculi vesicæ felleæ, malum hypochondriacum, hystericum, passio iliaca, colica, dysenteria, nephritis.

Sufficere hæc mihi videntur ad illustrandam examinis clinici, s. explorationis morborum exquisitioris ideam, ut sic ulterioribus supersedeam exemplis & jam inoffenso pede transeam ad ipsam compendii practici structuram. Quale debeat esse illud in limine jam

ex parte est indigitatum. Scilicet in summa, solo unius paginæ obtutu sistere debet ea, quæ circa quemlibet affectum tam scire, quàm agere oportet medicum, adeoque primo historiam morbi per phænomena antecedanea, constituentia & concomitantia, sicque ætiologiam, diagnosin atque prognosin, quæ primam paginæ columnam absolvant: tum vero quid practice sit agendum per indicationes, indicata, materiam indicatorum, specifica, cautelas practicas altera paginæ complectitur columna.

Siquidem vero & compendii notio & arctiores unicæ paginæ limites stylum præcipiunt maxime laconicum; ita nonnisi essentialia & maximè necessaria possunt delineari, & summis quasi digitis monstrari saltem, quæ tamen abunde sufficiunt ad sublevandam neo - practici memoriam, & acuendum in diagnosi, prognosi, ætiologia, subjecto morbi & causæ, ac denique individuali therapia eruendis judicium.

Primam itaque lineam ducet *affectus nomen* & *synonymia*, latino & germanico idiomate. Dehinc subsequetur statim, sub titulo *Differentiæ*, tam specifica ab aliis congeneribus affectibus differentia, quam ipsa variarum hujus ejusdemque affectus specierum enumeratio.

Sed movebo fortasse lectori stomachum, quod definitionem sicco transiverim pede, quæ tamen omnium primo exhibita diagnosin affectus & ipsam differentiam specificam, tanquam cardinalia bina momenta, omnium rectissime videri posset subministratura; sed cum hæc ipsa partim subinde sit superflua & ipsa notio e. g. vomitus, cephalalgiæ, ophthalmiæ & quamplurimorum aliorum affectum per se pateat, & de cetero ad rem parum faciat, si pro genere definitionis constituendo, determinaverim, an hic affectus l. morbi, l. causæ morbificæ, l. symptomatis nomine veniat? partim vero implicite contineatur sub titulo differentiæ & phænomenorum constituentium, per consequens facile hinc possit elici: partim denique nimium suffuraretur angustioris loci spatium: illam omitti, l. saltem non ubique addi consultius duxi.

Ad *phænomena* igitur affectuum progredior, per ea intelligendo omnia ea, quæ in corpore nostro, vel in respectu ad illud, secundum, vel præter naturam observantur, in sensus incurrentia,

quibus

quibus aliqua postmodum ſtabiliri queat ſententia, quis ſit affectus, quænam pars affecta & quomodo, è quibus cauſis & quid hinc ſit vel metuendum, l. ſperandum?

Sub *phænomenis antecedentibus* complector omnes illas ſ. remotas, ſ. proximas, ſ. immediatas, ſ. continentes, dictas cauſas, quæ l. ſuccedendi tempore, l. cauſandi ordine ipſum antecedunt morbum, ſ. diſpoſitive, ſ. excitative & occaſionaliter, ſ. directe & primariò.

Per *phænomena conſtituentia* intelligo eà, quæ ipſum conſtituunt affectum p. n.lem, quibus poſitis hic l. ille ponitur morbus & ab alio diſcriminatur; quæque collective ſumpta proprium quaſi quarti modi logicorum, aut ſigna medicorum pathognomonica conſtituant. Phænomena vero concomitantia, ſunt, quæ eſſentiam quidem morbi præciſe non reſpiciunt, utplurimum tamen conjungi ſolent. Sub utraque hac claſſe militant ſuperius jam laudatæ morborum & ſymtomatum diviſiones ac differentiæ. Si plurimorum ſymptomatum concurrat farrago, poterit, pro juvanda memoria, & is ſervari in eorundem exploratione ac recenſione ordo., ut per tres ventres, ſupremum medium, infimum, & ſingulas eorundem partes nobiliores, dein & per artus obvia percurrantur phænomena; Atque ſic fundatur diagnoſis.

Phænomena conſequentia, l. ſuccedanea voco, quæ præſentem affectum conſequuntur & ſe referunt l. ad tempora morborum, principium, augmentum, ſtatum, declinationem, l. cruditatem & coctionem, l. criſin, l. aliorum morborum ſucceſſiones, l. tempus & modum evadendi & moriendi, l. recidivas & damna permanentia: Quorſum referri adhuc poſſunt juvantia & nocentia atque obſervationes practicæ in demortuorum ſectionibus factæ. Hæcque prognoſin ſtabiliunt.

Ad *therapiam* nunc perrecturus, cur diſertam, juxta pathologiæ præcepta, morbi, ſubjecti morbi & cauſæ, nec non ipſarum cauſarum, mentionem haud faciam, è ſupra dictis facile arguet benevolus lector. Augent ſcil. hæc numerum potius, quam rem, latentque non adeo obſcure in ipſis tabulæ præmiſſis, ſub ipſo phænomenorum ſchemate, Neque vero in ipſa therapia prolixiore apparatu per amplisſimam indicantium, morbi, ſubjecti, cauſæ

morbi-

morbificæ, ſymptomatis urgentis, virium, naturæ, quin & coindicantium atque contraindicantium ſeriem luxuriari l. oportet, l. convenit: Sed ad ipſas potius indicationes & indicata properandum videtur, quæ triplici è fonte, pharmacevtico, chirurgico, diætetico, remedia ſuppeditent idonea atque ſufficientia, inprimis ſic dicta ſpecifica, multiplici uſu probata, ſubjunctis l. inſperſis, pro confirmanda methodo medendi, cautelis practicis.

Si *ad calcem paginæ* ſuperſit ſpatium, poterunt *optimi* quivis *authores*, qui l. integris tractatibus, l. diſputationibus ſingulos excuſſerunt ſedulo affectus, allegari, ut ex illis reliqua ſupplere poſſit medicus, pleniorem deſiderans explanationem.

Eximium ejusmodi *compendiii uſum* non eſt quod multis eveham laudibus. Vino vendibili ſuſpenſa hedera opus non eſt. Faciant potius ipſi medicinæ ſtudioſi atque Practici hujus inſtituti periculum, & ad rem præſentem applicent, tumque fateantur ingenue, an ipſis aliquem in medicina l. diſcenda, l. facienda, quin & docenda præſtiterit uſum? Immo, quod magis eſt, corrigant, mutent, adaugeant ſub quotidiana meditatione ac praxi, ubi nos l. de feciſſe, l. erraviſſe videbimur, & inpræſentiarum ſua nobiscum benevole communicent dubia, ut, ſi quando integrum ejusmodi compendium typis permiſerit Dn. Præſes, typum jam habeat & normam exquiſitiorem.

Si *methodus* & *ordo tractationis*, quem inivimus, diſpliceat, & tramite potius illo incedendum tritiſſimo videatur, qui ad definitionem, ſynonymiam, homonymiam, ſubjectum, differentiam, cauſas, ſigna & curationem ex ordine ducit, noſtro parum mutato ordine, facili præſtabitur opera. Nobis hic arriſit modus, ad imitationem exercitationum pathologico-ſemioticarum Wedelii, tum & præſcindendam prolixitatem & ſubtilem de punctis controverſis diſputationem.


Forma denique *externa* hujus *compendii*, ut & portatile reddatur, & in una eademque pagina, pauciſſimis exceptis prolixioribus affectibus, uno, ut promiſi, obtutu, totus habeatur apparatus, poterit longitudine octo circiter æquare pollices; & tres in latitudine, ductâ per medium paginæ linea perpendiculari, ut primæ columnæ hiſtoria morbi: alteri therapia poſſit inſeri.

Molem

Molem non gravabunt, nec præſcriptam turbabunt formam, ſed argumentum illuſtrabunt potius egregiè G. W. Wedelii Tabulæ X. pathologicæ, pro ſerie affectuum in noſtro compendio, debitis locis inſerendæ & compingendæ. Quod vero ſpectat ipſum *ordinem* & *ſucceſſionem affectuum*, quibus ſe invicem in compendio debeant excipere, is quidem eſt arbitarius, & adjunctus ad finem index, cuilibet, quocunque ſit loco poſitus, ſtatim inveniendo ſatisfaciet affectui. Puto tamen *affectus congeneres* ſibi invicem jungi rectius, & *à febribus exordium* aptiſſime ſumi. Anguſti vero temporis limites ab ulteriore me revocant diſquiſitione.

Quapropter paucis ſaltem adhuc *objecta chirurgiæ* attingam. Hæc ſive fori ſint mixti, medici ſc. & chirurgici, ſive ſtricte ſaltem chirurgici, ad externam modo tractationem & operationem reſpicientia, poterunt eadem methodo, quam hucusque laudavimus, exhauriri, ſi modo quæ operationem manualem ſpectant, diſtincte & ſeparatim notentur, juxta egregium illud chirurgorum monitum, ut ſciat operator & præparet quid ante operationem, quid ſub ea, & quid poſt eam debite peractam ſit obſervandum?

Jam ergo ſine ulteriori mora unum alterumque *ſpecimen* exhibebo, ad normam præmiſſarum regularum elaboratum, atque ſic finem imponam operi, quem benigniſſimus & ſapientiſſimus medicinæ creator divina coronet ſua benedictione!



C VOMI-

VOMITUS. Das Erbrechen.

DIFFERENTIA.

A ructu, singultu, nausea, materiali, sensibili potissimum excretione.
Alimentorum.
Acidus.
Biliosus.
Pituitosus, viscidus.
Sebaceus.
Nigricans, cineritius, palearis.
Cruentus.
Stercoreus, passio iliaca.
Insolitorum.
Inanis, violentus, convulsivus.
Egula, aquosus, spumosus.
Jejunus; à pastu;
Periodicus.
Habitualis.
Idiopathicus.
Sympathicus, e. g. nephriticus.
Criticus. Symptomaticus.
Gravidarum.
Puerorum.

Phænom. Anteced.

Æt: infant.
Temp. phlegm, choler. melanch.
Sexus femin.
Disp. evemeta.
Idiosyncrasia.
Graviditas.
Fœtor.
Refrigeratio epigastrii.
Pinguia, oleosa, tepida, assumpta.
Cibi plurimi, varii, invicem pugnantes, in vase ♀. cocti.
Vini abusus: cerevisia feculenta, nimis refrigerans.
Ira: mœstitia: nausea.
Motus nimius à pastu; in navi, rheda vertiginosus.
Purgantia, emetica, narcotica, fumus tabaci; Venena: ☿lia, ♂lia ♁lia non rite ppta.
Menses suppressi. Chlorosis.
Febres. Variolæ, morbilli, imminentes.
Ventriculi angustia; compressio, coarctatio, ab intus & extus.
Pylori obstructio.
Cartilago ensiformis depressa.
Venar. gastric. turgescentia varicosa.
Ileus.
Colica.
Dysenteria.
Hernia, oment. Intestin. maxime incarcerata.
Malum hypoch. hystericum.
Scorbutus.
Nephritis.
Vermes, alia heterogenea, ventriculi, intestinorum.
Tussis, diuturnior, ferina.
Cephalæa.
Ictus, percussio, epigastrii, ventriculi.

Ictus, percussio, vulnus, capitis, oculorum, renum.
Fascinum.

Phænom. Constit. & Concomit.

Nausea, ructus.
Affluxus salivæ
Anxietas, præcordior. compressio.
Pallor faciei
Tremor labii,
Vertigo
Frigus extremorum
Sudor frigidus.
} *Prodromi ordinario.*

Oris amarities, l. alius austerus, ⊖sus, acidus &c. sapor.
Vertigo
Cephalalgia
Tinnitus aurium
Faucium strangulatio
Dyspnoea
Ventriculi inflatio.
Deliquia

Phænom. Conseq.

Hernia
Struma
Surditas
Gutta serena
Ophthalmia
Prolapsus oculi
Hæmoptoe
Vomitus cruentus
Oesophagi crepatura
} *à violento & frequenti.*

Hæmodia ab acido reddito.
Cachexia, atrophia, marasmus, à diuturno.
Cum euphoria, criticus, bonus.
Serum extravasatum, l. ▽sum, tenue, insipidum, l. crassum, lixiviosum, ichorosum, purulentum.

Indicationes & indicata.

1. *Quà symptoma urgens, sistendum, adstringentibus, aromaticis, opiatis, theriacalibus, intus & extus.*
2. *Materia peccans aliquando plus & citius emetico provocanda tempestive, vel*
3. *Revellenda purgante, clysmate stimulante.*
4. *Atonia, debilitas, corrigenda, roborantibus, tonicis, analepticis, in- & externis.*
5. *Strictura spasmodica relaxanda, nervinis, temperantibus, antispasmodicis, anodynis.*
6. *Acidum absorbendum, antacidis.*
7. *Bilis temperanda, nitrosis.*
8. *Inflammatio resolvenda, diaphoreticis, alexipharmacis.*
9. *Acrimonia demulcenda, obvolvenda inviscantibus, mucilaginosis absorbentibus.*
10. *Viscidum incidendum, evacuandum, salinis neutris, aromaticis, purgantibus, diaphoreticis, diureticis.*
11. *Congestio & tendentia sanguinis ad ventriculum resolvenda, evacuanda, revellenda, nitrosis, tonicis, venasectione, frictionibus extremorum.*

12. *Vermibus, febribus, nephritidi &c. sua quaque remedia: morbis item vomitum excipientibus.*

13. *Diæta, regimen, vitatione nocentium, usu moderato, selecto cibi eupepti, conditi, potus aromatici, tonici leniter adstringentis. Collum sub vomitione liberum, non constrictum, abdomen vero fascia strictum, genua decussata, jacendo l. sedendo potius ac stando, sunto.*

Mater. indicat. & specifica.

Mica panis tosta, aceto imbuta, calida.
Catapl. è pane mellito, c. aromat. in vino coct.
Empl. de crusta panis
- - tacamah.
- - è theriaca Andr.
Argill. fornac. aceto impastata, calida.
(*extus ad epigastr.*)

Ol. nucist. expr. int. & externe
Croc. ♂. aper. Stahl.
Grana mastich. el.
Cort. citr. aurant. masticati.
Tunica int. ventric. urogalli, in gravid. vomit.
Vinum generosum, malvatic. cydon,
Pil. adstr. Helvet.
Spec. diacret.
Aq. menth. plantag. cin. cyd. theriac. mastichin.
TR. ♂ cydon. - 🜄 catech. - anod.
Balsamosacch. ex opobals. ver.
Diascord. El. diacin. reg.
Antidota, singulis venenis appropriata.
Si à cupro, ⊖is subinde datus. Wed.
Lac copiosum, in vomit. à veneno rodente, haustum.


Caut. Pract.

Forma medicamentor. maxime pilular. l. in Elect.

Pauca medicamenta simul, sed crebro.

Stomachica, tonica, mox ante, l. sub ipso pastu, e. g. vinum medicat. amarum, Elixir stomach.

Non omnis vomitus statim sistendus, e. g. in nephriticis, infantibus, gravidis, l. aliâs criticus.



HY-

HYDROPS die Wassersucht.

ASCITES IN SPECIE.

Definit.

Ascites est morbus conformationis, l. magnitudinis aucta, l. meatuum, à colluvie serosa, intra cavum abdominis, c. hujus æquali & constante intumescentia, ac tensione & fluctuationis sensu.

DIFFERENTIA.

Levcophlegmatia.
Oedema.
Anasarca.
Ascites.
Tympanites.
Cysticus, s. saccatus.
Vesicularis, è plurimis hydatidibus.
Universalis, l. particularis.
Capitis, s. hydrocephalus.
Oculi.
Pectoris, pericardii, omenti.
Uteri, ovarii, tubæ, ligamenti lati & teretis.
Tunicarum mesenterii, peritonæi.
Testium, s. hydrocele.
Hydrops ad matulam, s. diabetes. } *improprie dicti.*
- - - sacci lacrymalis. } *improprie dicti.*
Simplex, l. mixtus c. anasarc. tympanit.
Simultaneus, l. successivus.
Incipiens, l. confirmatus.

Phænom. anteced.

Ætas maxime virilis, senilis.
Temp. phlegmat. bilios.
Sexus sequior, ob menses, graviditat. & lochia.
Aër pluviosus, paludosus, frigidus.
Cibi crassi, dyspepti, crudi.
Potus nimius vini, spirituosorum: immo & aquosus copiosior, æstuante corpore frigidus.
Quies nimia, insolita.
Affectus animi graves, tristes.
Excretionum sanguinearum & serosarum, naturalium & artificialium suppressio.
Hæmorrhagiæ nimiæ.
Venæsect. crebræ, largæ.
Purgationes vehementes & crebriores.
Cort. peruviani & ischæmor. adstring. abusus.
Febres diuturnæ, inpr. quartana.
Cachexia.
Icterus.
Podagra suppressa.
Affect. hypochondriac. scorbutus. Dysenteria, neglecta l. male tractata.
Phthisis.
Obstructio, scirrhus viscerum glandularum.
Venena.
Ruptura lacteor. Lymphaticor. Ureterum.
Renis putredo.

Phænom. Constit. & Concomit.

Tumor abdominis usque ad præcordia, constans, non acuminatus.
Successive major, distensivus, durus, resplendens, digito perculsus repercutit tangentem in latere opposito.
Umbilici protuberantia.
Murmura, fluctuationes, ad latera moto abdomine.
A pastu modico inflatio distensiva, angustiæ.
Alvus varia, constipata, segnis, lubrica, fluxa. Sitis.
Urina pauca, lixiviosa, aquea, c. sedimento crasso, limosa.
Dolor ab initio in abdomine, post in iliis, lumbis.
Dyspnoea, asthma, orthopnœa.
Pulsus mollis, parvus, frequens.
Tussis sicca.
Expectoratio aliquando viscida, mucosa.
Pallor faciei albidus, flavescens, viridescens, plumbeus.
Oris fœtor ⊖so-amarus.
Vigiliæ.
Lassitudo ulcerosa.
Hæmorrhag. frequens, constanter alterutrius narium.
Decubitus difficillimus.
Frigus extremorum.
Partium superiorum atrophia.
Pedum oedema, successive adscendens ad genitalia, lumbos, dorsum.
Penis tortuosa, pellucida inflatio serosa, stupenda.
Pedis, scroti, erysipelas, intertrigo, exulceratio, maculæ lividæ.
Umbilici crepatura serum affatim eructans.
Febris hectica, lenta, vesperi exacerbata, inflammatoria.
Convulsiones, epilepsia.

Phænom. Conseq.

Morbus chronicus, tædiosus, molestus.
Confirmatus incurabilis.
Asthmate, orthopnoea, phthisi prægressis, difficillimus, incurabilis.
In juvenibus & ex febri, curabilior.
Facile & ordinario recidivat.
Gangræna sæpe supervenit.
Plorationes & fluxiones serosæ cutis, s. spontaneæ s.
Artificiales raro tollunt morbum.
Seri nimia simultanea excretio, noxia, lethalis utplurimum.
Paracentesis mortem accelerat placidam ordinario.
Diarrhœa sub initum bona, ad finem mala.
Diuresis restituta, auctior, constans, sacra anchora.
Maculæ rubræ, lividæ, mortis prænuntiæ.
Anasarca, Cysticus hydrops, facilius curantur ascite.

Indicationes.

Evacuare, divertere serum.
Obstructiones reserare.

Lympham

Lympham laudabilem restituere.
Viscera debilia roborare.
Inflammationi, gangrenæ, putredini resistere.
Vires restaurare.

Fons chirurg.

Venasect. tempestiva, in suppressione consuetarum excretionum sanguinearum.

Vesicatoria
Scarificationes. } *caute, raro.*
Paracentesis.

Enemata stimulantia, purgantia.

Epithemata, emplastra, unguenta, resolventia, tonica.

Suppedanea acria, hydragoga.

Fasciationes pedum, abdominis, ab initio.

Fons pharmacevt.

Balnea, thermæ in principio, & prophylactice magis.

Emetica, cautissime, & rarissime.

Laxantia, purgantia, fortiora quoque.

Diuretica.

Diaphoretica.

Aperitiva.

Stomachica, tonica, amara.

Analeptica.

Fons Diæt.

Aër temperatus, conclave siccum, sole ventilatum.
Vinum mosellan. campaniense, rhenan. tenue, cydoniat. enulat. juniperin.
Alimenta medicamentosa, lupulus, asparagus, pruna, fruct. cynosbat. cydon. radic. petrosel. Seleri, & bardan. maj. caules, chærefol. nasturt. sem. carvi &c.
Sudoris, urinæ, alvi excretio reducenda, servanda.
Animus serenandus, erigendus.
Motus corporis moderatus, frequens in principio, quà posse.

Specifica.

Acidulæ egran. c. thermis in principio.
Gumm. gutt. in adultis gr. vj.
Rad. ebuli, inpr. ejus cortex.
☿. *dulcis.*
Succus bryon. 2. 3. cochlear. singulo mane.
Elaterium.
Cinis bufonis. solenander.
HB. gratiol. in pulvere Helwich. in. E. N. C. Dec 3. ann. 5. obs. 67.
♂ *lia.*
Oxymel squilliticum c. gumm. ammon.
Lixivium è ciner. sarmentor. Junip.
Oliban. in decoct.
Tartar. ⊕, ⊖ *polychr.*
Nitr. crystallin.

Ess.

Ess. succin. tartarisat.
Balsam. Hoffm. Gmelin.
Elix. aperit. Cl.
Cruciata med.
Rad. hirundinar.
Ol. l. heracl. extus. Ruland.
Baln. ▽ chalybeat. Id.

Cautel. pract.

Sublata aqua, non tollitur ideo ascites, sed brevi denuo colligitur illa.

Paracentesis tamen, ceteris paribus, repeti potest pluries.

Purgantibus alternatim aperitiva & tonica balsamica interponantur.

Alterantibus, anticachecticis cura inchoatur melius, quam evacuantibus, disponendo prius humores, coagula, & vias adaptando.

Si febris acuta adsit, hæc primario oppugnatur, non neglectis tamen anticachecticis: secus si lenta feb. jungatur.

Salium lixivorum copia diuresin juvat, sed anorexiam, sitim, tussim auget sæpe.

Ferina tussis, vigiliæ, indicant opiata, contraindicat inopia spirituum & dyspnoea.

Hydropem & graviditatem probe distinguas.

Fortia purgantia præ aliis, ferunt hydropici.

AUCTORES.

Lister. Exercit. med. de Hydrope.
Conring. Disp. de Ascite.
Sydenhami liber de Hydrope.
Carol. Piso, de serosa colluvie.
Hist. morborum Vratislaviens.

